

Alte Drucke

**DE VITA IV||VENTVTIS INSTI=||TVENDA, MORIBVS-||QVE
AC STVDIIS || CORRIGEN-||DIS, || Opuscula diuersorum
autorum perquam || erudita, quæ uersa pagina ...**

Gryphius, Sebastianus

Lugduni, 1541

DE INSTITVENDA VITA, ET CORrigendis moribus iuuentutis, Paraeneses.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150956

DE INSTI

TVENDA VITA, ET COR=

rigendis moribus iuuentutis,

Paræneses.



VVENIS in Academiam præceptori alicui creditus, omnes nervos intendat, ut duo illa assequatur. Vnum, ut in eloquentiæ studio Eloquentia, promoveat. At cum eloquentiam dico, non inanem illum uerborum strepitum, non ambitiosum orationis fastum intelligo, sed totam Encyclopædiam, id est, Encyclopæ orbem illum artium optimarum comprehendo. Ita sanè, dia, ut iuuenis illa, quæ in quavis arte columnæ, & præcipua sunt, imbibat. Quæ de re in præsentia à me nihil dicitur. Tum quòd Fabius Quintilianus, Erasmus ille Roterodamus, hæc iustis uoluminibus tractarunt, à quibus aliquid de comparandis studijs iuuentutis scribere, est Iliada post Homerum contexere. Tum quòd nostri instituti est ostendere, quibusnam moribus iuuentus perpolitae esse debeat, & mores iuuenum admodum hoc præsertim seculo prauos & corruptos in melius instituere. Et illud alterum est quod discipulus apud præceptorem discat, nimirum ut moribus probatior quam aduolauit, domum ad suos reuolct. Quæ duo Achillem à Phœnice optimi præceptoris optimo exemplo, non parum feliciter edoctum fuisse, Homerus libro Iliados 1 x.

A 5 tecta

testatur, dum Phœnicem ita ad Achillem uerba facere in-
troducitur:

Τοῦ νῦν αὖ πρόεικε δδασκέμεθα τὰς πάντα
Μύθωντε ἑνὴν ἔμμεν πρὸς ἑνὴν ἔργον.

Quos uersus ego sic utcumq; uerto:

Huic me prœmisit te cuncta ut illa docerem

Cum bene dicendi uita quoq; noscere normam.

Morū cura. Et illa sanè morum cura uel præcipua esse debet.
Quid enim obsecro refert, iuuenem quamuis omni disci-
plinarum genere excultum existere, si parum Christia-
nus, parum ciuilibus moribus sit præditus? Cum enim
iuuenis uel hoc uno nomine præceptori ad bonas lite-
ras informandus detur, ut aut aliquando Remp. opti-
mis moribus constituere, consilijs regere, prudentia con-
seruare possit: aut si hoc non contingat (ut non est cuius
homini datum adire Corinthum) alia quadam ratione
proximi commodis consulere queat. Mæræ pestes Rei-
publ. erunt iuuenes, qui utut in omni doctrinarum ge-
nere excellent, uita omnibus flagitijs inquinatissima exi-
stunt: qua non dici potest, quàm illis, quibus præsent,
officiant: cum, ut Plato inquit, tales fere sunt subditi,
quales ij, qui Reipubl. clauo admoti existant. Neq; uero
hic necesse est referre Antonios, Syllas, Marios, Cati-
linas, qui literis quidem omnibus sese exornarant, sed
quia moribus non perinde probatis erant præditi, Rem-
publ. Rom. non parum uulnerarunt, Ciuium moribus
non parum obsuerunt. Quòd si non ciuiles Magistra-
tus gerere contingat, non potest tamen non nocere is,
qui literas non cum morū integritate coniunxerit. Quid
enim

enim magni Ludi Magister, quamuis literis ornatissimus, apud suos effecerit, si uita sit spurcissima præditus? Quid præceptor in publicis Academijs dignum laude in suæ fidei creditis discipulis egerit, nisi uitæ quoq; sanitimoniam suos docuerit? Pater utut literatus sit, Leonis (ut in prouerbio est) catulum educauerit, nisi moribus quoq; suis ab omni parte integris, filio ad optimum uiuendi iter præluxerit. Corruptet pupillum tutor, si præter literas nihil Christiano homine dignum in se ostenderit. Est enim ut corporum, ita uitiorum animi contagio: nam ut conuictor scabiem conuictori facile adfiscat, ita quoq; morum lues non difficulter in animū aliorum serpit. Et id omnium maxime accidit, si is qui animi uitijs laborat, nobis & amicis præcedat, & plus quam nos sapere & intelligere uideatur. Cuiusmodi parentes nostri sunt, è quibus huius lucis usurā accepimus. Cuiusmodi præceptores animi parētes existunt, quibus ad humanitatem informandi creduntur iuuenes, utriq; tales ferè formant illi liberos, hi discipulos, quales ipsi euaserunt. Hinc & illa parœmia uulgò iactatur, Mali corui, malum ouē. Nec huc male quadrare uidetur illud Horatianum,

Fortes creantur fortibus, & bonis

Est in iuuenis, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquile columbam.

Doctrina sed uim promouet insita

Rectiq; cultus pectora roborant.

Sub hæc morum cognitio adeò necessaria est iuuenibus, ut sine illis, eloquentia, Plinio iuniore teste, ægre disca

Eloquentia discatur. Cum Eloquentia Sapientie soror esse & uelit Sapientie soror. & debeat: prauos hominum animos, cum uelis tum re-
mis, refugit. Proinde, usu ipso comperimus, quam raro
aliquid pretium operæ in eloquentiæ, germanæ tñs so-
pñas, studio faciant ij, qui morum ueluti Megarensium,
ut in Prouerio est, nullam rationem habent. Et ut ali-
quando usuueniat, ut malis moribus imbutus aliquò te-
nus in illa copiose loquente sapientia progrediatur, id
sanè tam cum ornat, quam si quis optimum unguentum
pixidi cœnosæ infundat, aut preciosissimos uniones ua-
sculo limoso inserat. Nam quòd Deus Opt. Max. iam
olim Ethnicos quosdam, sceleratissimos etiam, sapientie
artibus perpoliuit, id ex singulari quadam Dei bonita-
te factum est: qui, ut de omnibus, ita & de Ethnicis,
quanuis impuris, bene mereri uoluit. Cum uerò morum
optimorum cognitio, & honestæ dicam, an potius Chri-
stianæ uitæ ratio, iuuentuti adeò utilis, adeò necessaria
quoq; sit, putauit officij mei esse uitæ Christianæ iuxta
morum corrigendorum præcepta meis, qui mihi ad hu-
manitatem informandi crediti sunt, præscribere. Faciam
uero id quàm possum paucissimus, ueluti digito common-
straturus, ad quenam iuuentus uitam & mores compo-
nere debeat. Enimuero, ut iuuentus recte & honeste ui-
uat, sic futurum est, si quid pensi Deo, si quid pensi
proximo suo persolvere debeat, si quomodo corpus cu-
randum, animus excolendus sit, perspecta habuerit.
Porrò, quid & Deo & proximo iuuentus debeat,
non aliunde rectius, quàm ex decem Dei Opt. Max.
præceptis cognoscet, quæ subijciemus, ut in illis ceu in
speculo

speculo, quæ optima uiuendi ratio sit, perspiciat.

PRIMUM PRAECEPTVM.

Vni crede Deo.

Hoc est, ut Salomon in Gnomis suis interpretatur: Fide Deo toto corde, & prudentiæ tuæ ne innitare. Ne fide tua sapientia. Time Deum, & recede à malo. Hic præcipitur iuuentuti, ut Deo fidat, Deum timeat, nec uelut ~~adæ~~, quosuis Ethnicos turpiter uiuendo superet. Docetur hic, ut à Deo prosperum studiorum cursum pe-
tat: docetur iuuentus, ut se Deo totum, quanta quanta est, in manum, quod aiunt, det. Ita sanè nihil aduersi un-
quam ei oboriri poterit. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? inquit Paulus. Exigit ergo Deus hoc præce-
pto à iuuenē, fiduciam, metum, amorem, spem.

PRAECEPTVM II.

Non usurpabis nomen domini tui temerè.

Hoc est, laudibus uehe & nomen & gloriam Dei. Implora nomen Dei, confuge ad illud, uelut ad sacram, ut dicunt, ancoram. Et ut Psalmographus Psalm. 49. præceptum hoc exponit: Immola Deo sacrificium lau-
dis, & redde altissimo uota tua. Et inuoca me in die tri-
bula

bulationis, & eruam te, & honorificabis me. Huc facit illud Iohelis tredecimo: Reddemus uitulos labiorum nostrorum. Porro quid hic commemorem, quam iuuentus nomen Dei temere usurpet? Et ut alias nominis Dei *θεοῦ κατὰ χάριν* omittam. Quid uero referam de hoc, quod plerique nullum uerbum ferè faciunt, quin Dei nomen admisceant? Sunt qui adeò per nomen Dei iurare assueuerunt, ut illius desuescere sit difficilimum. Verum, quam utrisq; uanus ille & temerarius nominis Domini usus fraudi futurus sit, Moses ille nomotheta Exodi 20 indicat, dum inquit: Non usurpabis nomen Dei tui frustra: nec enim infontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Tu audis, quòd exemplum in illum futurum sit, qui nomine Dei frustra utatur. Audis Dominum, eum non infontem habiturum: hoc est, non impune illi futurum, qui nomen illud *τις καὶ τὸ ὄνομα* ore impuro temere propharet. Quòd si, ut autor Epistolæ ad Hebræos ait, horrendum est incidere in manus Dei uiuentis, saxeus es, quisquis non minis Dei deterritus à temeraria nominis diuini usurpatione, uelis quod aiunt, equisq; refugis. Et quid hic commemorem de illis nominis Christi Seruatoris nostri blasphemis nebulonibus, qui ob rem, nec *τις καὶ τὸ ὄνομα* ut Græci dicunt, Christi passionem, ut dignam. alicui exitio sit, imprecantur? In illos sanè publicis legibus meritò animaduertendum esset. Ecquid enim capitalius committi possit, quam passionem Christi, quæ nobis omnibus saluti fuit, quæ, ut Græcis in Prouerbio est, Mare omnium bonorum existit, adeò scelestis imprecatio

cationibus consturcari, detestari? Capitale est, si quis Imperatorem terrenum maledictis adficiat. Ecquanto capitalius esse deberet, si quis $\tau\omicron\pi\chi\iota\varsigma\alpha\varsigma$, cui pater omnia dedit in manus, Ioan. 13. & cui data est potestas in caelo & terra, Matth. ult. tantis probris adfecerit? Et ut maxime Magistratus ciuiles, in istos passionis Christi blasphemos non animaduertant, Deus tamen ipse id nunquam inultum dimittet. Sic enim in primo Regum libro, capite secundo proditum est, Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contemnent me, erunt ignobiles.

PRAECEPTVM III.

Sabbata sanctifica.

Hoc est, diebus festis ferias age. Et quamuis hoc praecceptum de Sabbatis, quae Iudaeis sacra & fuerunt & sunt, loquatur: tamen nos de omnibus diebus festis accipere possumus, siue dies Sabbati, siue dies Dominicus, siue alius quispiam dies festus in hebdomade receptus sit. Est ergo caput huius praeccepti, ut dies festos sanctificemus: hoc est, sanctis studiis consecremus: sancta uero Sabbata qd. *Sanctificare Sabbata qd.* studia sunt, precibus incumbere, concionibus uerbi diuini interesse, beneficia, quibus nos Deus immerentes per Christum ornavit, ornatq; in animum reuocare: illi beneficiorum acceptorum erga nos gratos praebere. Et quid obstat, quo minus hic recenseam nobile illud dictum Gregorij Nazian. in sermone de ferijs Pentecostes

costes, ἱερτάξουμι καὶ ἡμεῖς ἀλλ' ὡς δοκᾷ ἡμῶν πνεύματι, δοκᾷ
 δὲ ἢ λέγοντες τί τῶν δόντων ἢ πράττοντες. καὶ τοῦτο ἐστὶ τῶ
 ἱερτάξουμι ἡμῶν ψυχῇ τὴν θησαυρίσαν τῶν ἐσώτων καὶ κρα-
 τουμένων ἀλλὰ μὴ τῶν ὑποχωρούντων καὶ λυομένων καὶ με-
 πρὰ σπυγνόντων πλὴν ἀίδιότητι. Quæ sic transpono: Et nos
 feriamur, sed ita, ut spiritui uideatur: uidetur uero, ut
 aliquid honesti & dicamus & faciamus. Et hoc est no-
 stro, & sic Christianorum more ferias agere: Animæ
 aliquid earum rerum, quæ consistunt, quæ durant con-
 gerere: sed non occupari rebus temporari cedentibus, &
 fluxis, & parua quadam uoluptate sensui blandientibus.
 An non uero Theologus ille paucis uerbis, quibus=
 nam studijs dies festi traducendi sunt, docet? Vult, &
 id autore spiritu, ut ijs diebus quibus iustitium indictum
 est, honesta dicamus: hoc quid aliud est, quàm de rebus
 honestis sermones conferere: de pietate, fide, spe, chari-
 tatē? Nolo uero, ut his de rebus iuuentus acriter digla-
 dietur: sed alter alteri cedat, sed præceptorum & alio-
 i. irrita, uanarum, quibus sacræ literæ perspectæ sunt, interpretationi,
 speculatio. modo non ἀναοσυστία sit, palmam deferat. Vult Gre-
 gorius, ut diebus festis, honestarum rerum functionibus
 distringamur. Ecquid uero honestius facere potest iu-
 uentus, quàm si oret, sacris intersit, concionibus adsit?
 Nouum te= In quibus hoc non parum commodi iuuentuti attule-
 stamentum. rit, Nouum testamentum, uel ab Erasmo tractatum,
 uel in sua natiua lingua in manibus habere: & locos
 à cordatis concionatoribus citatos, repositos, in me-
 moriæ thesaurum recondere: In memoriæ thesau-
 rum

rum reconditos, crebra usurpatione in medium profer-
re. Et quod ἡ κεφαλαίον est, uitam ad locos illos in- i. Caput præ
stituere. Sunt quidem hoc nostro seculo iuuenes pleri- cipuum.
que de sacris literis mire loquaces, sed Εἶτε μὲν διαδο-
τὰν γλῶσσαν εὐσπορον ἔχοντες καὶ δεινὴν ἐπιβίβαν λόγους
εὐγυνεσίῃς τε καὶ δεικνυσίῃς οὕτω ἐπὶ καὶ πρὸς τὰς
πράξεις ἡχολογῶν. Hoc est, sed utinam ut linguam qui-
dem ualde uolubilem habent, & ad de sermonibus ho-
nestis & probatis disserendum promptam, sic & o-
peribus uacarent. Sub hæc uult Gregorius ille, ut fe-
stis diebus bona, quæ non uetustatis iniuria corrup-
puntur, paremus. Ecquæ illa sunt? illa haud dubie, de
quibus CHRISTVS Matth. 5. Primum quærite re-
gnum Dei & iustitiam eius, & omnia adjicientur uo-
bis. Hæc prolixius tracto, quod sciam iuuentutem nulla
omnino cura orationis, sacrarum concionum, & alio-
rum studiorum, quæ diebus festis congruunt, distorqueri.
Immo putant iuuenes, illos dies otio & ignauix datos,
proinde nullo tempore magis prodeambulant, perpo-
tant, quàm quo ab Ecclesia feriis indictis à laboribus
externis supersedetur. Sed ex illis quæ retuli, iuuentus,
opinor, quibus rebus dies festi dedicari debeant, liquido
intelliget.

PRAECEPTVM IIII.

Honora patrem & matrem, ut bene
sit tibi, & longæuus sis super terram.

B Id est

i. Blandimentum. Id est, parentibus obtempera, illos cole, metue, illis pro re succurre, coram illis caput aperi, adsurge, sine illos priores partes habere, obedi illis in omnibus. Sic enim Paulus ad Collos. 3. inquit, Filij, obedite parentibus in omnibus, hoc enim placet Deo. Porro, quod in præcepto additur, Si uis longæuus esse super terram, ueluti est, quo iuuentus ad honorem parentibus habendum allicitur. Cum enim iuuentus fire uite amore flagret, Deus hoc præcepto uitam longæuam pollicetur, si erga parentes, pro eo, ac decet, affecti fuerint. Vnde & Homerus Ethnicus libro Iliados 1. scribit:

Οὐκ ἔστι τι τοιοῦτον

Θεοῖσι φίλοις ἀπ' ἑλπίης μιν ὑποδάδῃ. Νέ δ' ἰδῶν.

Prouerb. 30. Hoc est, neque parentibus præmia nutritionis rependit, breue ei æuum erat. Hinc Salomon, ut sacra prophanis misceam, inquit, Oculum, qui patrem fastidit, & matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & uorabunt aquila. Huc refer illas nobiles ueterum Sapientum Gnomas, quibus iuuentutem ad parentibus obtemperandum adeo diligenter cohortati sunt. Cuiusmodi est illud Pythagoræ, τοὺς ἀγαθὸν τίμα. Id est, parentes honora. Cuiusmodi est & illud, nescio quo autore profectum.

Βούλει γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμῇ ἔχειν.

Γονεῖς δ' ἡμῶν καὶ φίλοις εὐδργίται.

Ελπίσει τιμῶν τοὺς γονεῖς πρᾶξαι καλῶς.

Θεοὶ μέγασι τοῖς φρονούσιν οἱ γονεῖς,

Ἰκανὸς βίωσις γυροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Νόμιζε αὐτὸ τοὺς γονεῖς εἶναι θεούς.

Id est

Id est, Velis parentes ante omnia in honore habere.
 Parentes quidem honora, & de amicis bene merere.
 Spera si honore adficias parētes, te facturum esse honeste,
 Dij maximi sunt, ijs qui sapiunt parentes.
 Commodò uiues, si parentes senio confectos nutrias.
 Existima tibi ipsi parentes Deum loco existere.
 Huc facit illud Ciceronis lib. Offic. 1. In ipsa autem com=
 munitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique
 præstet intelligi possit. Et prima Dijs immortalibus, se=
 cunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim re=
 liqua ceteris debeantur. Ad hæc, ut iuuentus paren=
 tibus obtemperet, illos uicissim si usus poposcerit, alat,
 & bruta animantia eam extimulent. Nam Plinius ita de Lib. 10. cap.
 Ciconijs scribit: Ciconiæ nidos eosdem repetunt, genito 23.
 rum senectam inuicem educant. Et de gliribus quoque
 ita ait, Glires genitores suos fessos senectæ alunt, insigni Magistrati=
 pietate. Ceterum hoc præceptum non tantum à iu=
 uentute exigit, ut parentibus, ex quibus lucis huius pri=
 mordiam sumpsit, honorem habeat: sed etiam Magistrati=
 bus obediat, illos colat, metuat. Nam & illi parentum
 numero sunt, ut qui non secus atque parentes, ut res
 & publicæ & priuæ singulorum in tuto collocen=
 tur, sedulo prospiciunt. Huc refer illud Pauli ad Ro=
 ma. 13. Omnis anima potestatibus excellentibus sub=
 dita sit &c. Huc facit illud ex Epistola Petri prio=
 re, capite secundo. Proinde subditi estote *τῷ κυρίῳ* Maiores nā
ἐξωντὶς κυρίου. Exigit hoc præceptum, ut iuuen=
 tus uiros maiores natu, honoret, ueneretur, amet, ob=
 seruet. Vnde Paulus in Epistola ad Timoth. priore,
 B 2 capite

i. omni creatu=
 ræ humanæ.

Maiores nā

tu.

capite quinto, Seniore ne sc̄uius obiurges, sed adhora-
tare ut patrem. Et Cicero Ethnicus lib. Offi. c. inquit, Est
igitur adolescentis maiores natu uereri. ineuntis enim
ætatis inc̄scitia, senum constituenda & regenda prudentia
est. Huc facit & illud Iuuenalis Satyra 13.

Improbilas illo fuit admirabilis æuo,

Credebant hoc grande nephas & morte piandum

Si iuuenis uetulo non assurrexerit, & si

Barbato cuicunq; puer, licet ipse uideret

Plura domi farræ, & maiores glandis acervos.

Tam uenerabile erat præcedere quattuor annis.

Præcepto= Sub hæc iuuentus in hoc præcepto quarto docetur, ut
res. præceptoribus, animorum (ut Fabius inquit) parenti-
bus, quibus ad bonas literas informanda credita est, ho-
norem tribuat: illos colat, metuat. Nam si carnales pa-
rentes, qui libris de uictu prospiciant, honorandi sunt:
merito & præceptores honorantur, qui de animi disci-
pulorum pabulo interdum noctuq; distorquentur. Si pa-
rentibus corporis honor debetur, quòd in lucem libe-
ros ediderint: merito & honor præceptoribus debetur,
ut qui id quod parentes progenuerunt, honestis & mo-
ribus & literis formant, ne bestie magis quàm hominis
simile existat. Celebres enim sunt illi uersiculi Poëtæ:
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescent, asperitasq; fugit.
Adde quòd ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Honorandi sunt parentes, quòd infantie nostræ mole-
stiam pertulerint: honorantur & merito præceptores,
qui in

qui in animo rudi discipulorum erudiendo, *IESV* bone, quantum molestiae, quantum laboris deuorant. honore adficiendi sunt parentes, quod uitae nostrae auctores sunt: honore adficientur & praeceptores, qui uitam à parentibus acceptam, ita instituunt, ut & nobis ornamento, & alijs usui esse possit. Ideo uero nos Deus uita potiri patitur, ut uita nostra aliorum comparemus commoda. Iam uero cum non aliter sit atque dixi, iuuentus certò animum suum inducat credere, quòd ut Dominus δ πατρις ὡς υἱός ut puto, eum qui, ut Salomon inquit, i. Omnipotrem adfligit, id est, non honorat, persecuturus sit: tens. (exemplum habes in Absolone) ita quoque non parsurus sit ei, qui parentem animi, hoc est, praeceptorem adfligit, id est, nullo honore dignetur. Quid ego hic exempla uetera commemorem? cum nusquam non exempla uel hodie obuia sint. Videmus enim istos praeceptorum uituperones & famae & rei familiaris naufragium incidere: uidemus plerosque mala morte citius opinione occumbere: uidemus istos ita ab alijs uituperari, contemni, ignominia adfieri, ut praeceptores uituperarunt, contempserunt, ignominia adfecerunt. Cum si qui istorum contemptorum, animi parentum liberos sustollant, eos erga se experiuntur, quales olim ipsi erga praeceptores fuerint. Et sunt quidem haec mala, quae retuli πρὸς καιρὸν, i. ad tempus sed nulli dubium sit, Deum quoque in futuro seculo illi durantia. Iam τὸν ἀπειθήσαντα, illam rebellionem discipulorum aduersus i. inobedientis praeceptores impunitam non dimissurum. Et ut iuuentiam, uentus propensioribus animis parentes, tam corporis quam animi obseruet, moneat eam exemplum CHRISTI:

qui, ut Lucas scribit, descendit cum parentibus, & erat subditus illis. Moveant eam exempla Ethnicorum, qui adeo pij, adeo religiosi in suos præceptores extiterunt.

Et ut ex omnibus unum adferam: non obscurum est ex

i. Munimen= Homero, quàm Achilles ἄρχοντα Phœnicem præceptorem, & antehac & legatum ad se ab Agamemnonem missum præ cæteris honorifice tractarit. Nec clam esse arbitror, quàm Phylliridem, cui ut citharæ pulsanda artem disceret commissus erat, Achilles obseruavit, coluerit, metuerit. Sic enim de illo inquit poëta Elegographus:

Phyllirides puerum citharæ præfecit Achillem,

Atq; animos molli contudit arte feros.

Qui toties socios, toties exterruit hostes,

Dicitur annosum pertimuisse senem.

Quas Hector sensurus erat poscente magistro

Verberibus iussas præbuit ille manus.

De illo & Iuven. Saty. 7. scribit:

Qui præceptorem sancti uoluere parentis

Esse loco: metuens uirgæ cum grandis Achilles

Cantabat patrijs in montibus. &c.

Iam si Achilles rex tantus, Phœnicem præceptorem suum adeo honorauit, adeo coluit: quantum obsecro dedecus est iuueni, cum Achille ne tantulum quidem comparando, se aduersus præceptorem suum tam honorificum, tam irreligiosum præbere? Si fecit rex ille Ethnicus, quanto magis faciet iuuenis plebeius? Et ut maxime quis patritius sit, communibus tamen baptismi sacris inauguratus est, quæ ei aurem, ut in Prouerbio est, uellent

TVENDAE PRAECEPTA.

23

uellant, utpraeceptori honorem habeat. Achilles Ethni-
cus etiam Citharædum metuit, obseruauit. Et iuuenis
Christianus præceptorem suum qui docet eum,

Μυθωντε ἑατῆς ἑαυτοῦ πρὸς τὴν ἐξουσίαν.

Hoc est,

Et bene dicendi & uiuendi noscere normam:
non metuet? non obseruabit?

Sed nos immensum spatij consecimus æquor:

Et iam tempus equum spumantia soluere colla.

Verg. 2. Ge-
org.

PRAECEPTVM V.

Ne occidas.

Hoc est, neminem manu occide, nemini inuide, ne-
minem uerbis probrosis incesse, nemini succense. Nam
sic hoc præceptum ipse Christus Matth. 5. exponit,
Audistis quod dictum sit ueteribus, Non occides: quis-
quis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico
uobis, quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit
iudicio. Quicumq; uero dixerit fratri suo Racha, ob-
noxius erit concilio. Quisquis uero dixerit fatue, ob-
noxius erit gehennæ incendio. Exigit ergo hic à iuuen-
tute Deus, ne homicidium perpetret, ut quod Deus non
unquam inultum patietur. Exemplum habes in Cham
Gen. 4. Exigit, ut iram frenet. Vnde ad Ephes. 4. inquit
Paulus: Irascimini, & ne peccetis, sol non occidat super
iram uestram. Et ut prophana sacris admisceam,
Poëta quoq; inquit,
Vince animos iramq; tuam qui cætera uincis.

B

4

Et rur

Et rurſus:

Pertinet ad faciem rabidos compeſcere mōres:
Candida pax homines, trux decet ira ſeras.

P R A E C E P T V M VI.

Non ſis adulter.

De ſcortatione.

Id eſt, Tu quantus quantus es, & corpore & animo, ne adulterio te conſpurca: ne corpus libidinibus aſtuet, ne mens cupiditatibus Veneris ardeat, oculos, manus comprime. Nam ſic Chriſtus Mat. 5. praeceptum hoc exponit, Audistis, quod dictum fuerit antiquis, Non committes adulterium: at ego dico vobis, quod quicumque aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendum eam, iam adulterium cum ea commiſit in corde ſuo. Atque hic audit iuuentus, Deum ſummam caſtimoniam exigere. Audit libidinem omnem, ſive illa adulterio, ſive ſcortatione fiat, prohiberi. Et ut de ſcortatione pauca dicam, hac ſanè nulla maior, nulla turpior peſtis homini accidere poteſt, ut quae totum hominem adeo commutat, ut non cognoſcas eundem eſſe. Teſtis eſt Dauid, quo nemo magis maſculus, nemo cordatior erat: at is, ubi turpiſſimae libidinis aſtu exardet, adeo ſui diſſimilis euadit, ut uere de illo, uerbis pauculis commutatis, dicere poſſes, O quantum mutatus ab illo es Dauid: uſque adeo uerum illud Ozeae 4. Fornicatio, & uinum & ebrietas, auferunt cor. Accedit huc quod cum Deus Opt. Max. praeſcripat, ut corpori noſtro ſuum honorem, qui eſt

ô æj

ἀσυνουδός, ut Paulus inquit, & puritas, indelibatum Id est: sancti
seruamus. Is qui scortatur, in corpus suum peccat, i. ad ficationem.

Corinth. 6. hoc est, corpus illo suo honore fraudat.

Quid uero commemorem, quantum τὸν δόξον (ut in τὸν δόξον.
Græcorum prouerbio est) malorum scortatio cum omnis Vide Eras.
generis, tum liberalibus artibus addictæ iuuetuti adpor= prouerb. Da
tet: nimirum patrimonij profusionem, famæ dispendium, thus bonorū.
uirium corporis eneruationem, innumera morborum
agmina, morbum regium, quem pleriq; Gallicum adpel=
lant, morbum testicularem, φθισις: non raro enim com=
pertum est iuuenes non parum multos, qui se scortatio=
ni dederant, acceptis ab amicis, imò inimicis potius phil=
tris, contabuisse. Taceo, quòd nil scortationi, cum lite= Scortatiōi nī
ris commertij sit, id quod etiam poëta miri rerum o= hil cū literis.
mnium adumbratores in hoc designarunt, dum & Pal=
ladem è cerebro Iouis natam, & Musas uirgines esse,
confinxerunt. Quòd si hæc quæ commemorauī, iuuenem
à scortationis studio non absterreant, absterreat illud, Scortationis
quòd Deus non ullum fere peccatum grauius puniat, punitio.
quàm scortationem. Quid obsecro Sodomam & Go= Gene. 19.
morram urbes florentissimas adeo in cinerem redegit, ut
ne ruina quidem superfit? quid illarum urbium incolæ,
æternis cruciatibus destinauit? scortatio & stuprum. Sic
enim inquit Iudas in Epistola sua: Sicut Sodoma & Go=
morra, & ijs finitimæ ciuitates, quæ ad consimilem mo=
dum cum illis stupris inquinatæ fuerant, proposito sunt
exemplo ignis æterni poenam sustinentes. Cur uero do=
minus uiginti tria milia hominum, ex populo Israëliti=
co, uno die occidit? scortationis, stupri ergò. Sic certe

Paulus in Epistola ad Corinth. priore, cap. 14. inquit: Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia. Absterreant iuuentutem à scortatione scripturæ sacræ, quæ tam crebro & prohibent & pœnam huic libidini propositam certo adfirmant. Paulus 1. ad Corinth. 6. Fugite scortationem, inquit. Et ad Thessal. quarto: Hæc est uoluntas dei (arrigat aures iuuentus) sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrum, suum uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non nouerant Deum. Salomon capite 5. Stillans fauius est scorti os: & mollius est quàm oleum collum eius: uerum postrema amara sunt uelut absinthium, & acuta ceu gladius: proinde fili ausculta mihi, nec à sermone meo discede, uiam eius procul fugito, nec accede ad fores ædium eius. Porro, pœnam propositam ostendit Paulus ad Corinth. 6. Neque scortatores, neque adulteri, regni hereditatem accipient. O scelus abominandum, o scelus iuueni, cum remis tum uelis fugiendum. Audis scortatores regni æterni hereditate priuari: hoc est, perpetuis inferni tenebris addici. I nunc & scortare.

Quo pacto At inquiet aliquis, qui nam hoc malum tam detestabile scortationem fugere possum? Audi, ut fugias, hoc primum remedium effugere poterit, si à CHRISTO Opt. Max. quotidie intimis precibus contenderis, ut pudicitia tuæ florem illibatum conseruet: si CHRISTVM ex toto pectore rogaueris, ut te à turpissimo libidinis incendio liberet, tū sanè CHRISTVS, ut est erga pudicos animo propensissimo, in te effi

te efficiet, ut nullo prorsus scortationis ardore inflam-
meris. Audi obsecro, quid dicat Salomon capite se-
cundo: Eripiet item sapientia (id est, CHRISTVS
qui est sapientia à Deo, prima Corinth. secundo) à mu-
liere aliena, quæ te blanditijs uenditat, & relicto pri-
stino marito, pacti diuini obliuiscitur. Vt scortationem
effugias, & illud effecerit, si otium, ut omnium malorum,
ita unicum scortationis seminarium fugeris. noti sunt isti
uersiculi Poëta:

Fuga otij.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,

Contemptaq; iacent & sine luce faces.

Queritur Aegystus quare sit factus adulter?

In promptu causa est, desidiosus erat.

Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus unda,

Et quàm limosa canna palustris humo:

Tam Venus otia amat: finem qui quæris amori,

(Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

Est & celebris uox senis illius Terentiani conqueren-
tis de amoribus filij: Ex nulla alia re istud, nisi ex nimio
otio uenit. Tum si ab hoc malo immunis esse uis, illorum Fuga impu-
contubernia cane peius & angue odi, qui in scortis ma- dicorum.

le audiunt: ut enim corporis, ita & animi uitia conta-
gio serpunt in uicinum. Vnde illud Seneca in libro de
ira tertio, quod utinam iuuenes non legerent solum, ue-
rumetiam mentibus insculperent: Sumuntur, inquit, à cõ-
uersantibus mores. Et ut quædam in contactis corpore
uitia transiliunt, ita animus sua mala proximis tradit.
Ebriosus conuictores in amorem uini traxit. Impudicorū
coetus fortemq; & si liceat uirum emollit. Porro nec illud
parum

parum ad uitandum hoc scelus fecerit, si prospexeris, ne te illis adiungas, qui nil nisi de scortatione, de stupris blatterant.

II. Cor. 15. φθέρουσι καὶ ὅθι χήρ' ὁμιλία κακοί. Id est:

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Quem uersum & apostolus Paulus priori ad Corinth.

Epistola inferere dignatus est. Denique si scortari no=

Occasio scorles, occasionem scortandi fugito. Proinde Paulus dicit
τάδι fugien= φεύετε τὸ πορνείαν. Id est: Fugite scortationem. Ecce
da. fugam, & hoc malum à nobis propulsare, admonere uult. Exemplū est nobis Ioseph, qui ne turpi amore uxoris Pharaonis accenderetur, eam, quoad eius fieri poterat, fugiebat. Flamma, inquit Comicus quidam, fumo proxima est. Si libidinis flamma inflammari non uis, & loca & homines fuge, à quibus ad hoc uitij incitari potes.

Prouerb. 6. Nam, ut Salomon inquit, Vt fieri nequit, quin adurat uestē, quisquis ignē in sinu fouerit: & pedes haud dubie laeserit, quisquis supra carbones inceserit: Ita, quisquis ad alterius uxorem adcesserit, quisquis attigerit, feret infortunium. Et quod penē praterieram: à scortatione alienus esse uis, cura, ut immodestam & uini & cereuisiae inurgitationem, id est, ebrietatem uites.

Ebrietas ui= Notum est illud Valerij:

tanda. Venter uino æstuans facile in libidinem desumpat.

Notum est illud poetæ:

Vina parant animos Veneri.

Et hæc quidem, quæ hætenus dixi, ad scortationem per=

De adulterio tinent: quid uero de adulterio dicam? quod ut à scortatione nonnihil diuersum est, ita non minus malorum in=

uchit

uehit, non minus Deo aduersum existit, non minus peccata homini creat. Dicit enim Paulus: Neque scortatores, neque adulteri regni hereditatem accipient: sed de hoc alias. In praesentia satis sit iuuentuti commonstrasse, quam turpis, quam omnibus malis referta, quam Deo odiosa res sit scortatio: satis est me ostendisse, malum hoc diuina gratia et alijs honestis functionibus expugnari posse. Faxit Christus, ut hoc scelus quam est detestabile, tam iuuentuti exosum reddatur. Amen.

PRAECEPTVM VII.

Non furtum facias.

Hoc est, bene merere de proximo tuo, illis bona ne compila, ab usuris illicitis tibi tempera. Huc facit illud Pauli: Qui furatur, non amplius furetur, magis autem *Ad Ephe. 4.* operetur, laborando manibus quod bonum est, ut possit impartire ei, qui opus habuerit.

PRAECEPTVM VIII.

Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.

Hoc est, neminem falso testimonio opprime: ne in testem uocatus, contra proximum circumueni, claram proximi tui famam ne obscura, ne obreptionibus, ne calumnijs indulgeto. Hic exigit à iuuentute Deus, ut
ueri

ueritatis amore teneatur, mendacij odio capiatur. Sic enim Paulus: Quapropter, deposito mendacio, loquamini ueritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Hic exigit Deus, ut iuuentus uitium illud proximo obtrectandi, uel clam uel aperte, hoc seculo, proh dolor, adeò uulgatum in omnibus circulis, cõuiuijs, prandijs, cœnis fugiat. Id quod ut iuuentus faciat præter edictum Dei, etiam illud ab ea impetrauerit, quod in proximo nihil damnare, nihil maledica lingua percerpere potest, quin illum, qui proximum ita labi, ita errare patitur damnet, lingua petulanti incesat. damnas illum quod non insigniter doctus est: sed heus tu an non damnando proximum, damnas deum, qui pro suo consilio, unicuique impartit id quod uult? Obtrectas huic quod iam hic, iam alibi lapsus sit, at illa obtrectatione insultas Deo, cui stat quilibet & cadit, ut Paulus ad Romanos scribit. Obtrectas huic, quod non opibus abundet: obtrectas igitur & Deo, à quo paupertas proficiscitur, Ecclesiastici undecimo: Bona & mala, uita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt. Breuiter, quid de ullo homine male predicare potes, quin male predicando de homine, & de Deo omnium rerum autore prædices? Quid, quod cum nemo, ut Poëta ille Ethnicus inquit, sine uitij nascatur: qua nam fronte, proximo obtrectare audes, qui in te tam multa obtrectationi, si ea licita esset, exposita ostentas? Insanum putas, si claudus loripedem derideat, de illo male predicet. Cur non etiam insanum putes, si tu eiusdem, quod aiunt, cum proximo monetæ, in proximo tuo insectando, tam ridicule

Ephes. 4.

Obtrectatio.

Rom. 14.

cule

cule, tam uirulente declamas. Accedit huc, quòd iuuentutem uel cum primis ab obtrectandi studio abstrahat, nempe quòd sacrae literae hoc uitium adeò execrantur, adeò detestantur, adeò interdicunt. Leuitici nono inquit dominus: Non eris criminator, nec susurro in populis. Prouerbiorum uigesimoquarto, Cogitatio stulti, peccatum est, & abonunatio hominum detractor. Paulus ad Romanos primo: Inter τοὺς ἀσεβεῖς καὶ ἀκατάστατους, Impios deus id est, obtrectatores quoque numerat. Denique ab tractores. hoc uitio iuuentutem absterret, quod deus obtrectandi studium grauissime puniat. Cuius exemplum in historia Susannae Danielis decimo tertio memoriae proditum est.

PRAECEPTVM IX. ET X.

Non concupisces uxorem proximi:
non desiderabis uxorem proximi: non
feruum, non ancillam, non bouem,
non asinum, non omnia, quae illius
sunt.

Hoc est, ne bonorum proximi tui cupiditate flagres, ne opta tibi bene esse, etià si proximo sit male: ne inuide proximo & honestam & pudicam uxorem, bene educatos liberos, fidelem & sedulam familiam, & ut ἀποτόμως i. breuiter. dicam, praeceptum hoc exigit, ne quis cupiat omnia sibi ad nutum

nutum fluere, etiam si proximus extrema paupertate distorqueatur. Neque uero Christianum est, quod impius ille apud Terentium gannit: Omnes sibi melius esse malunt quam alteri: imò omnes alteri melius esse maluerunt, quam sibi. Charitas enim Christiana non querit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, prima ad Corinth. 13.

P E R O R A T I O.

i. Recapitulationio.

i. Decentem

EX his decem præceptis, opinor, iuuetus didicit quidam Deo, quid nam proximo debeat. Debet uero Deo fidem, spem, charitatem, religiosam nominis eius usurpationem, Sabbatorum eius sanctificationem. Proximo debet charitatem, quæ est totius legis *ἐν ἀγαπᾷ*. Iam, ut mea refert sententia, iuuentus tenet, quæ uita Deo cordi, quæ odio sit: qui mores Christianum redeant, qui paganum respiciant. Caterum cum Deus Opt. Max. hominem ex corpore & animo constituerit, meritum operæ facturum reor, si id quod etiam in principio recepi, paucula quædam præcepta de cura, tam corporis quam animi, præscripsero. Tum nec abs re erit, si & in plerisque alijs rebus, quid dignum sit iuuenibus, ostendero. Enimvero cum corpus certis partibus constet, quam potest fieri breuissime, curam *τῆς τοῦ σώματος* partium corporis, non omnium quidem, sed præcipuarum, commonstrabo. Et primum omnium, qualis cura totius corporis iuuenem deceat, Ouidius his uersiculis, ut eruditissime, ita breuissime complexus est,
Mundicie placeant, suscentur corpora campo,

Sit bene

TVENDAE PRAECEPTA.

33

Sit bene conueniens, & sine labe toga.
 Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes,
 Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
 Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
 Sit coma, sit docta barba resecta manu.
 Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
 Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
 Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
 Nec ledat nares uirq; paterq; gregis.
 Quam saepe admonui ne trux caper iret in alas,
 Quid si praecipiam ne fuscet inertia dentes,
 Oraq; suscepta mane lauentur aqua.

VT OCVLIS VTI IUVENIS DEBEAT.

Ne passim, ut Salomon, inquit, uagentur oculi, sed re-
 ste te praecurrant.

QVALIS CVRA MANVVM IUVENI HABENDA.

Manus sordibus careant. Et ut Poeta dixit:
 Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues.
 Dum iuuenis cum uiro aliquo graui colloquitur, manus
 compositas habeat, nec ut rusticis ferè in more est, in-
 ter colloquia aut manibus gesticuletur, aut è mitra plu-
 mas, si quæ insederint, carpat.

QVAE PEDVM CVRA IUVENEM DECEAT.

C Inter

Inter colloquendum iuuenis pedes coniunctos habeat, nec more ebriorum huc illuc uacillet, id quod moniturus non eram, nisi & id iuueni ornamento esse, satis certo scirem. Aliorum membrorum τὸ πρέπον & curam, in presentia non referam, tum quod infiniti laboris futurum est, tum quod membrorum primario-
 i. decentiā. rum curam τὸ πρέπον ostendisse, satis duco. Cum ne-
 i. adolescente dignam. ro & non parum referat, quoniam incessu utatur, & de illo pauca subijciam.

INCESSVS IUVENE

dignus quis.

Recta incede, & uia tua recta sint, nec declina ad dextrā nec sinistram, deflece à malo, hæc Salomon. Cur enim non ex illo potius quam alio scriptore, iuuentutis mores formē? ut qui spiritu dei adflatus, Gnomas Christianæ iuuentuti semper in sinu gestandas, imò ediscendas potius ædedit. Huc refer & illud Ciceronis ex libro Officiorum primo: Cauendum est autem ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut similes pomparum ferculis esse uideamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhalitus mouentur, uultus mutantur, ora torquentur. Ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam.

QUALIS CVLTVS IUXTA VE

stitus corporis iuuenem ornet.

Cum nō parū referat quo cultu, pariter & uestitu corporis iuuenis utatur, libet & de utroq; pauca subijcere. Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti,

Fine

Fine coli modico, forma uirilis amat.

Forma uiros neglecta decet.

De uestitu iuuentutis non est quod multa praecipiam, cum tot ferè genera uestitus sint, quot rationes existant: proinde hoc admonuisse satis sit, ut iuuenis uestitu se digno ornet. Et hoc unum cum primis curet, ut membra uirilia obiecta, & ab hominum obtutibus remota sint: quæ enim, inquit Cicero in libro Officiorum primo, natura occultauit, eadem omnes qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsiq; necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant. Hæc ille. Sed quid hodie pro pudor sit? Ecce, iuuenes perfrecta fronte, coram honestissimis puellis, coram integerrimis matronis, coram ipsis etiam præceptoribus, membra illa uirilia impudentissime ostentant. Et ubi à præceptore admonentur, ut illa obtineant, nescio quot paralyses ei imprecantur: in hos sanè Cinados, Academiæ moderatores, uel grauissime animaduertere deberent. Indignum enim est iuuentutem in tanta inuerecundia adolescere: indignum est illam inuerecundiam inultam existere.

QVALES MORES IN MEN
sa iuuenes deceant.

Cum pleriq; iuuenes adeò inepte, adeò rustice se interprandendum, iuxta cœnandum gerant, proinde & de mense moribus pauca præcipere duxi. At qui mores inter cibum capiendum iuuenes ornent, Ouidius paucis uersiculis scitissime complexus est:

C 2

Carpe

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi:

Ora nec immunda tota perunge manu:

Ne'ue diu præsume dapes: sed desine citra

Quàm cupias, paulo quàm potes esse minus.

Ebrietas fugienda, Et ut obiter quoq; hoc admoneam, iuueni inter prandendum, coenandum, commessandum, ebrietatem fugiendam esse. Tum quòd litera sacra eam Christianis interdican-
 te sequētia.

Sic enim Luca 21. Christus inquit: Cauete, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate. Et Paulus ad Romanos decimotertio inquit: Tanquam in die compositae ambulemus, non in cōmēstationibus & ebrietatibus. Tum quòd nulla res sit, quæ plus malorum iuuenibus adportet. Hinc enim, ut Plinius scribit, pallor &

Malaebrietas sequētia, genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus effundentes plena uasa, & (quæ sit poena præsens) furiales somni, & inquietas nocturna. Salomon in Gnomis suis:

Vinum, inquit, subsannatores facit, & tumultus ebrietas. Verum quod omnium malorum ultimum est: Ebrios Paulus regni Dei hereditatem non consecuturos, in epistola ad Corinthios priore, capite sexto scribit: Et hæc quidem de ebrietate fugienda præteritis iuventutem admonitam uolo. Quòd si bibere uolet, ita bibat, ut officium præstent mensq; pedesq; suum, sic enim Ouidius in primo artis. Sed cur non alios quoque illius Poætæ uersiculos refero?

Obiter.

Iurgia, inquit, præcipue uino simulata cauet

Et nimium faciles ad fera bella manus.

Occidit Eurytion stulte data uina bibendo,

Aptior est dulci mensa merumq; ioco.

Atq;

Atq; utinam iuuentus studiosa Romuli regis illius Romanorum exemplum inter bibendum emularetur: qui ad coenam à quodam inuitatus, cum non ita multum bibisset, quia postridie negotium haberet, ei dicunt: Romule, si istuc omnes homines faciant, uinum uilius sit. Tum ille: Imò uero carum, si quantum quisque uolet, bibat: nam ego bibi quantum uolui. Quòd si iuuentus sobrias, ut æquum est, compotatiunculas adornauerit, & inter præbibendum aliquid serij agat, ne & hoc tempus frustra effluat. Nimirum iuuenis præbiturus suo compotori, uersiculo aliquo ex tempore conficito præstetur. Et ut docendi gratia exempla pauca subijciam.

FORMVLAE PRAE-
bibendi.

Hoc tibi ^ῥχαίρους poculum do chare sodalis.

Vel sic.

Præbibo quicquid id est pocli studiose Iacobe.

Vel sic.

Iam bibo, deinde statim me Petre sequare bibendo.

Vbi is cui præbitur, respondere poterit uersiculo quoq; eiusdem farinae, hoc est, extemporario. Et hoc quidem uel pentametro, uel si potest, hexametro.

Sit felix faustum Petre diserte tibi.

Vel sic.

Sit felix, charus, potus utriq; tuus.

Vel sic.

Accipio oblatum pergrato pectore poculum.

C 3

Qui

IUVENTVTIS INSTI=
QVIBVS DE REBVS IUVEN=
tus inter cibum capiendum confabu=
lari debeat.

In mensa iuuenes nec omnino muti sint, nec nimium loquaculi, siquidem illud tristis, hoc stolidæ mentis indicium est. Quod si uero loqui uolent, de rebus honestis, & illis è quibus tam ipsi quàm alij conuictores meliores abeant, loquantur. Et ut syluam quandam sermonũ, qui iuuenes inter edendum deceant commonstrem. Aliquando de nomenclaturis ferculorum, quæ in mensam apponuntur, inter se sermones conferant. Aliquando de uarijs potus generibus confabulentur. Neq; uero ατοπος fuerit, illa, quæ interdum uel à præceptoribus audiuerunt, uel priuatim suo Marte legerunt, ueluti contetionis malum in medium conijcere, & aliorum quoq; de illis sententiam inquirere. Non ineptum fuerit & de carniū uarietate, salubritate, facili digestionē differere. Nimirum aues imbecillius alimentum sufficere quàm quadrupes, præsertim quàm sues, sed concoctu facilius. Aues iuniores ueteribus humidiores existere, iuxta coctum faciliores, tum alimenti ualidioris. Anseris carnem plurimum superfluitatis in humano corpore relinquere, & greconcoqui. Præterea carnem suillam ualidam quidem esse, sed ex illius esu alimentum contrahi & glutinosum, & haud facile dissipatu. Ouillam carnem superfluitatibus redundare, maliq; succi esse. Bubulam carnem, atram bilem parere. Leporinam carnem crassi succi existere. Ceruina. Cerui carnem duram coctūq; difficilem præbere alimentum. Hæc & huiusmodi (quæ cum alijs, tum in Paulo

Aegi

Aegineta traduntur) inter comedendum producere admodum & decorum & utile erit : tum si quis quid de hac uel illa aue , de hac uel alia fera , de hoc uel illo piscium genere, quod memorabile sit, uel legerit uel audierit, exponat. Cuiusmodi est illud Martialis (Exempla enim pauca, ut iuuetus ad similia & obseruanda & promenda acuat, adferam)

Inter aues Turdus, si quis me iudice certet,

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Sic eiusdem est illud de Ansere:

Hæc seruauit auis Tarpeia templa tonantis:

Miraris, nondum fecerat illa Deus.

Sic Plin. de uulpe scribit , animal esse solerti auditu , ut quod aure ad glaciem adposita, coniecerit crassitudinem gelu. Sic de ceruis scribit, quod cū erexerint aures acerrimi auditus, cum remiserint, surdi existant.

Vulpes.

Cerui.

Huc refer & sermones de lacte. Nimirum lac coctum alere quidem corpus, sed gingiuis dentibusq; officere. Lac Caprinum mediocris esse substantiæ, Ovilum crassioris. Huc accerse & colloquia de ouis. Gallinarum, phasianorumq; oua prima existere. Sorbilia melius descendere, & gutturis asperitatem lenire, reliqua omnia coctu difficilia existere. Porro, fricta in sartagine omnium pessima esse. Adhæc & de uini generibus pariter, quod uinū alio præstantius, quod magis nutriat, iuuentus confabulabitur. Sic nullum nō nimium nutrire, sed rubicundum magis. Ceterum rubicundū uinum nō boni succi esse, dulce nutrire quidem, sed stomacho inimicum existere. Acerbum, ut stomacho gratum sit, ita non

Lac.

Oua.

Vini genera

facile transmitti, ac minus alere, & id multo minus, si album existat. Sub hæc inter comedendum & illud non absurdum erit, si iuuetus inter se colloquatur, ubi Vergilius, uel Theocritum uel Homerum uersibus suis expresserit. Cuiusmodi est illud (ut & huius rei gustum quendam præbeam) apud Vergilium in Eclogis: Ut uidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

Quem uersiculum ex Theocriti Idyllio appositisime traduxit:

Ὡς ἴδοντες ἐμάνην μὲν περὶ θυμὸς ἰάφθην.

Cuiusmodi est & ille uersiculus Eclogæ 3.

Nec dum illis (de poculis uerba faciens)

labra admoui, sed condita seruo.

Quem ex Theocriti illo in Idyllio primo bellissime derinauit:

Οὐδέ τι πω τοτὶ χαλὸς ἐμὸν θίγερ' ἀλλ' ἐτι κεύτῃ.

Est apud Vergilium in 2. Aeneidos Periphrasis uenientis noctis:

Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox

Inuoluens umbra magna terramq; polumq;.

Hanc Periphrasim ex libro Iliad. Homeri θ. transtulit. uersus Homeri sunt:

Ἐν δ' ἔπειτα ὠκεανὸς λαμπρὸς φάος ἡελίοιο

Ἐλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ γαῖαν ἄρσεναν.

Et quod penè oblitus eram, inter comedendum de sacris quoq; literis iuuenes conferent, & in memoriam reuocabunt ea quæ ab eruditis cōcionatorib. audiuerunt. Conferent inter se locos quosdam Pauli, qui prima fronte pugnare uidentur. Pluribus moneo, qualibus sermonibus iuuentus

iuuentus inter edendum utatur, idq; hoc nomine, quòd exploratum habeam, quàm friuolis, quàm obscuris sermonibus omnia prandia, omnes coenae, omnes commestationes iuuenum perstreant. Quotus enim quisque uel Latine loquitur? quotus quisq; inter prandiu, inter coenam uel uerbulo rerum, quarum modo mentionem inieci, meminit? Optimus ferè conuictor est, qui quàm spurcissima euomat. Bellus conuiuia est, qui non nisi Bacchū, Venerem, & nescio quæ alia *μη καθήκοντα*, ut Pauli i. non conue uerbis utar, effutit. Caterum cum Dominus de quolibet nientia. uerbo otioso à nobis rationem exacturus sit, Matth. 12. curabit iuuenis, ut sermonis rationem habeat, & nihil dicat, nisi quod, ut Paulus inquit, *πρὸς τὸ διδοσθαι* i. ad edificat proximi redundet. Neq; uero inter comedendum, tantum ne os sermonibus lapsabundis & uanis scateat, cauendum est, sed ubiubi erit iuuenis, ne quid pestilens, ne quid spurcum euomat, prospexerit. Sic enim Paulus ad Colos. inquit, Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Porro, ut hoc obiter indicem, sermonem sale Sermo sale conditum, Paulus uocat sermonem non insulsum, ineptū, conditus, spurcū, sermonē qui erudiat rudem, consoletur pusillaniquis Paulo. mē, erigat lapsum. Et hactenus quidē de sermone iuuenibus digno, ultra modū, uel potius intra modum diximus.

DE ANIMI CVRA

ἐπιτροπή.

CVM, quæ cura corporis iuuentuti suscipienda sit, quàm fieri potuit paucissimis, à nobis dictum sit,

C 5

paucula

paucula quoq; de animi cultu, ut & paulò ante recepimus, iuuenes admonebimus. Primo omnium curet iuuenis, ut animum diuinæ particulam auræ, ut Horatius inquit, clarū uirtutibus politicis reddat: Cuiusmodi sunt, sapientia, prudentia, pietate, iustitia, liberalitate, temperantia, modestia, & si quæ aliæ uirtutes politicae existant. Deinde, si ad bonas literas discendas traditus est, à Deo Opt. Max. prosperum in literis successum petat. Siquidem ut literæ bonæ Dei dona sunt 1. ad Corint. 12. Ita quoq; illo fortunante in illis progressum facimus. Sic enim inquit Salomon, Deus ex ore suo sapientiam, scientiam, & intelligentiam largitur, rectis dat successum. Tum ubi iuuenis literis operam nauare occiperit, urgeat institutum: non secus uocationi (ut Pauli uerbo utar) atq; Poëta scenæ seruiat, animum inducens, credere tam Deo exosum esse, si præceptor ad humanitatem informandus creditus, non officium suum faciat, quàm in re alia quapiam: non quod & se dignum sit & Deus uelit, præstet. Vult enim Deus, ut quisq; uocationi suæ pro sua uirili faciat satis. Iam si ad animi cultum capiendum Dei Opt. Max. benignitate uocatus es, tuum erit officium uocationi tuæ, quantum in te est, respondere. Id quod utinam pleriq; iuuenes hoc nostro seculo, & scirent & secum reputarent, haud dubie non tam segnem operam in literas collocarent. At uero cum Deum in illorum segnitiam non animaduersurum credant, mirum est quam frigide literarum studia excolant. Præterea hic omnem, quod aiunt, rudentem moueat iuuenis, ut literarum sacrarum panoplia, animum suum

suum aduersus diaboli, mundi, carnis, capitales iuuentu-
tis hostes, aduersus omnia uitiorum genera propulsan-
da munitum & infractum habeat. Nulla enim est tam
ualida tentatio, quin eam sacrae literae retundant ac fran-
gant. Et ut paucula exempla docendi gratia proferam:

DIABOLO RESISTEN=
dum esse,

Docet Petrus in Epistola priore, capite primo, So-
brii estote, uigilate, quoniam aduersarius uester diabo-
lus tanquam leo rugiens obambulat, querens quem de-
uoret, Cui resistite, solidi fide. Iacobi quarto, Resistite
diabolo, & fugiet à uobis.

NON ANIMVM DESPON=
dendum in aduersis,

Docet CHRISTVS Ioannis decimoquarto, Non
relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Et Ioannis
decimosexto, Vos autem mœrore adficiemini, sed mœ-
ror uester uertetur in gaudium &c.

NON CARNIS LIBIDINI=
bus obtemperandum,

Ad Romanos 13. Carnis curam ne agatis ad con-
cupiscentiam &c.

NON MVNDI ILLECE=
bris indulgendum.

Prima Ioannis secundo, Ne diligatis mundum, neq;
ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est
charitas patris in eo.

Vitam

VITANDAM ESSE

scortationem.

Prima ad Corint. sexto: Fugite scortationem. Omne peccatum quodecunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

FUGIENDAM ESSE

ebrietatem & crapulam,

Luca uigesimoprimo, Cauete autem uobis, ne quau= do grauentur corda uestra crapula & ebrietate.

NON INSOLESCEN=

dum esse.

Prima ad Corinthios tertio, Quid autem habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? Prima Petri quinto: Humilitatem animi uobis infixam habete: propterea, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

INANEM GLORIAM

fugiendam,

Quinto ad Galatas, Ne efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem uos prouocantes, inuicem inuidentes.

A' CALVMNIA LINGVAM

frenandam,

Leuitici nono, Non eris criminator & susurro in populis.

BENE MERENDVM DE

male merentibus,

Ad Romanos duodecimo, Si esurit inimicus, pascere illum: si sitit, da illi potum.

Iram

IRAM DOMAN=

dam esse,

Ad Ephesios quarto : irascimini, & non peccetis,
sol ne occidat super iram uestram &c.

SERMONES SPVRCOS

uitandos,

Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat,
sed si quis est bonus ad ædificationem, &c. ad Ephes. 4.

Hæc paucula exempla docendi gratia subiicisse suffe-
cerit: aduersus alia uitia, alios scripturæ sanctæ locos iu-
uenis conquirat. Et in primis illos locos in promptu ha-
beat, qui conscientiam consolentur. Cuiusmodi est ille
Ioan. 2. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum uni-
genitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat,
sed habeat uitam æternam. Et ille apud Matth. 1. cap.
Et uocabis nomen eius I E S U M, is enim saluum faciet
populum suum à peccatis suis. Teneat & iuuenis lo-
cos, qui ad charitatem proximi nos uocant, ut est ille
Ioannis undecimo, Præceptum nouum do uobis, ut dili-
gatis uos inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diliga-
tis inuicem. Sed quid multa, hæc de instituendis iuxta
corrigen-
dis moribus iuuentutis, in præsentiarum dicta à
me sint : qui plura scribere hac de re uolet, scri-
bat, per me licet, excipiat lampada cursu;

nobis sat est, ut cunq; uiam quãdam

& componendi & corrigen-

di mores iuuenibus

aperuisse.

F I N I S.

De disci